

tiae. Ibi enim Magdalena sedit ad pedes Domini audiens verbum ejus velut discipula magistrum: ibi sollicita Martha ministravit Domino, ibi Lazarus jam sepultus prodiit ad mandatum ejus.

Secundo tamquam in domum afflictionis. Bene etiam Bethania domus afflictionis dicitur. In ea siquidem Magdalena lavit suis lacrymis pedes Christi in domo Simonis leprosi, (qui erat in Bethania, Matth. XXVI.) quemadmodum canit Ecclesia in festo S. Mariæ Magdalenaë. Ibidem præter Martham et Magdalenam flevit Christus mortem Lazari, Joa. XI. Talis domus est Ecclesia, ut testatur Christus, Jo. XVI. dicens: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos: mundus autem gaudebit.* Docet vero et jubet Ecclesia flere, primo, propria peccata sum Magdalena et lacrymis delere; secundo, peccata alienas et alias proximorum calamitates cum Christo, qui deflevit mortem Lazari et sororum ejus dolorem; tertio, passionem Christi, cum eadem Magdalena, quæ lacrymis rigavit pedes Christi.

Errant ergo, qui existimant dies vitæ hujus dies esse deliciarum et lætitiæ. Scriptum enim est Psalm. CXXV. *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent.* Hic tempus est serendi cum lacrymis pœnitentia, ibi tempus metendi cum gaudio. Quemadmodum ergo vinitores non decerpunt uvæ immaturas, sed abstinere donec maturescant, quia immaturæ dentibus stuporem afferunt, maturæ dulce vinum præbent, ita et quicumque vindemiam et messem cœlestem expectant, hic sibi interdiciunt voluptates, delicias et sæcularia gaudia, ne jacturam faciant cœlestium gaudiorum. Unde S. Gregorius, l. 1. moral. c. XV. in id Ezech. XVIII. *Patres comedunt uvam acerbam,* inquit: « Quid uva acerba nisi peccatum est? Uva quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Sane Christus cœlestia primum die inchoavit gaudia sua, usque ad illam diem a gaudiis abstinuit, perpetuam crucem gestavit, et calicem passionis bibit tota vita sua, semper a se prævisum.

Secundo, ascendendum est in montem Oliveti, siquidem ex eo monte ascendit in cœlum Christus, ut testatur idem S. Lucas, Act. 1.

II. Ascendendum autem primo, per desiderium et contemplationem honorum cœlestium, contemptum vero terrenorum. Sane mons Oliveti vicinus est Jerosolymæ, et tantæ altitudinis ut ex eo omnes pene plateæ Jerusalem (quin et mare mortuum) conspiciantur, ut scribit Corn. a Lapide, in Act. cap. 1. Qui ergo ascendere cum Christo ad cœlum volunt, ascendant prius cum eodem ad montem Oliveti, contemplando

primo, et desiderando bona æterna, cupiant dissolvi et esse cum Christo: non illorum, more, qui tædio et impatientia laborum vel ærumnarum victi cupiant vitare molestias, quas in mundo pati coguntur, sed amore præsentis Christi; illam beatam vitam semper in desiderio habeant, ad illam anheleant, illæ bona sua præmittant, in illam omnem suam consolationem differant. Contemplantur sæpe numero cœlestem Jerusalem et plateas ejus, quæ teste S. Joan. Apoc. XXI. sunt *aurum mundum et tamquam vitrum pellucidum*, conferantque cum his infimis et abjectis mundi sordibus.

Deinde, ex eodem monte despiciant et contemnant mare mortuum hujus sæculi. Quale est enim mare mortuum, foetidum, fumosum, putridum, talis est et mundus. Hinc apostolus transiens per mundi bona nares oculudebat ob eorum fetorem, quemadmodum etiam faciunt, qui juxta mare mortuum transeunt. Ait enim se ea arbitratum esse *ut stercora*, ad Philip. III. et Gal. VI. *Mihi mundus crucifixus est*, q. d. quemadmodum viatores cum cloacas transeunt, vel cadaverum lanienam, aut locum suppliciorum, nares et os avertunt, sic ego abominor mundum. Qui huc usque ascendit, magnum profecto gradum ad cœli conscensum fecit. Sed quam paucos tales videas? Inter aves pleræque sunt, quæ nulla difficultate sese in altum librant, et ibidem commorantur: aliquæ vero sunt, quæ modice et per intervalla volant, nec sine difficultate, ideoque cito in terram relabuntur: paucissimas vero videas, quæ nunquam omnino volant. In hominibus e contra plurimi sunt, qui nunquam a terra se sustollunt: alii quam multi vero qui ad clamorem prædicationis, ad impulsum sacri temporis paschalis, jubilæi, etc. nonnihil se attollunt et volant aliquantum, vacando Deo et saluti suæ, a pravis tamen suis habitibus ad terram mox retrahuntur: paucissimi demum sunt, qui ut generosæ aquilæ ponunt in cœlo nidum conversationis suæ.

Secundo, per victoriam sui ipsius, seu subactionem passionum et pravorum habituum. Etenim ex Oliveti monte Dominus sedens super asinam more triumphantis ingressus est Jerusalem. Asina nostra et pullus, caro et ejus concupiscentia est. Hæ itaque subigendæ. Possimus autem nobis ex ipsis nostris passionibus scalam cœli facere. « Si, ut Eusebius Emissenus ait, unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, et eminentia dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construatur, quo ad superiora conscendat. Sublimabunt nos, si fuerint infra nos: de nostri quoque vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. » De Christo ascensuro prophetavit Zacha-

rias, c. XIV. *Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum.* Simili ratione stent etiam pedes nostri super affectus nostros, calcando et comprimendo illos; et recta ad cœlum tendimus. Gestemus lectum nostrum, uti paralyticus ille sanus, non nos gestet lectus, uti eundem gestaverat ægrum, Matth. IX.

Tertio, per patientiam tribulationum. In monte enim Oliveti incepit Christus passionem suam, sanguinem sudavit, cohorti se ligandum obtulit, et inde ad crucem suam perrexit, ac postremo ex eodem ad gloriam suam ascendit. Atque hæc est certa et regia ad cœlum via, quam ante nos pandit Christus, juxta id Michææ, cap. II. de eo prophetantis: *Ascendet pandens* (Hebr. *fractor seu perruptor*) *iter ante eos.* Fregit enim et perrupit Christus omnia tormentorum genera, omnes hostium acies, ipsasque inferni portas, donec prædam suam assequeretur. Unde ait ipse ad duos illos discipulos: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Luc. ult. Viam cœli asperam faciunt tribulationes, persecutiones, morbi, paupertas, tentationes item carnis, mundi, dæmonis, pœnitentiæ asperitas, præcepta observanda, amor sæculi, caro et sanguis, inolitæ consuetudines, religio Lutherana vel Calviniana a parentibus tradita et hæreditario accepta, jactura honorum, si religio mutanda foret, etc. Has tu seras frange, has acies per rumpe, hæc vincula confringe. Ligatus erat Paulus amore patriæ et Judæismi, a parentibus et magistris sibi traditi fortissimeque imbibiti, sed abruptum vinculum. Ligatus ab amasia Augustinus, sed et ipse perruptor factus est: sequamur hos et nos, salutisque nostræ obices fortiter perrumpamus.

Quarto, per novissimorum considerationem, judicii præsertim extremi, quod in valle Josaphat, cui imminet mons Oliveti (futura judicis sedes) peragetur. Nam si in eam vallem quotidie converteremus oculos, magnos utique progressus in via cœli faceremus. S. Clemens, ep. 1. narrat S. Petrum dicere solitum: *Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos judicium Dei ponat?* Huc igitur assidue respiciebat David, qui dixit Ps. LXX. *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.* Huc S. Pelagia pœnitens, quæ a vanitate mundi conversa per B. Nonnum episcopum Heliopoleos perpetuæ pœnitentiæ se ad dicit, ad eamque delegit Oliveti montem, ubi tugurium erexit, ex quo in vallem Josaphat despectus est, ut jugem Christi patientis æque ac judicis venturi imaginem sibi ob oculos poneret, ut in ejus vita, 8. octob. et Adricom. in descript. terræ sanctæ. Denique et angeli, qui Christo jam assumpto discipulis apparuerunt, videntur eos monere, ut vallem potius Josaphat, quam cœ-

lum aspicere velint. Aiunt enim: *Quid statis aspicientes in cœlum? Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, sic veniet, q. d. considerate potius venturum iterum velut judicem, et sessurum in hoc monte.*

Quinto, per honorum operum studium. Sciimus enim Christum in monte Olivarum crebro et ferventer orasse: sciimus eum ibidem sanguinem sudasse: sciimus eum ibi Judam traditorem ad osculum præcepisse, Maicho comprehensori suo aurem restituisse, aliaque charitatis opera designasse, quibus absque dubio monstravit nobis viam cœli, quæ tria illa complectitur honorum operum genera, orationem, jejunium, eleemosynam. Ostium oraculi fecit Salomon de lignis Olivarum, et in eo sculpsit Cherubim et palmas, III. Reg. VI. Tu ergo si intrare vis in oraculum cœlesti, da eleemosynam, ora, et castiga corpus tuum: hæc tria reserant portam cœli, oliva eleemosynam, Cherubim orationem, palma victoriam sui ipsius denotat. Atque hoc est pallium, hæc vestigia nobis a Christo relicta.

Quare videtur nobis dixisse Isaias illud cap. XXX. *Aures tuæ audient verbum post tergum momentis. Hæc est via, ambulate in ea.* Quis hic post tergum monens? Christus utique qui in cœlum ascendens, nos quasi post tergum monuit, quando viam indicavit, qua sequi eum possemus. Ergo, auditores, ambulate in hac via, insistite his vestigiis, quæ reliquit post se Christus. Sic enim itur ad astra.

#### CONCIO VIII.

QUID REPENDENDUM CHRISTO PRO BENEFICIIS.

I. Beneficiorum memoria. — II. Amor erga benefactorem. — III. Servitus et obsequium. — IV. Gratiarum actio, laus, admiratio, gratulatio.

#### THEMA.

*Illi autem profecti prædicaverunt ubique.* Marci ult.

Scribit Jacobus a Vitriaco cardinalis et episcopus Tusculanus, in l. de mirabilibus orientalium regionum, apud Barth. Angl. de rer. propriet. lib. XII. cap. XXIX. in Ægypto reperiri pelicanum, qui pullos suos a serpente forte enectos, sanguine suo de pectore, vel, ut alii, de cruribus elicit, vitæ et vigori pristino restituit. Quo ex vulnere cum magnopere debilitetur, ita ut ad pastum suum nequeat evolare, advertit ad suos; quinam ex illis memores paterni beneficii pastum ei afferant: quique degeneres et ingrati facere hoc omittant; postmodum sibi restitutus, pullos a quibus fovebatur diligit et fovet: eos vero a quibus deserebatur, nido exturbat et deserit. Avem istam Christo comparat S. Gregorius Magnus super septem psalmos ad Psalm. V. et S.



Aug. in Psalm. CI. ubi in persona pauperis Christus ait: *Similis factus sum pellicano solitudinis*. Hic ut nos a diabolico serpente enectos in paradiso, vitæ restitueret, sanguinem de latere et membris sponte sua elicit, dum se in crucem et mortem tradidit. Audivimus sup. dominicæ, quid et quantum nobis contulerit ejus incarnatione et passio. Cæterum attendit illic nobis, quales et quam gratos nos ipsi exhibeamus; ut gratos quidem diligat et in cælo æternum foveat, ingratos vero deserat et ad inferos deturbet. Ergo sicut Raphael, Tobie ductore, discessuro in cælum, consultabant pater et filius, quid pro beneficiis ei rependerent: ita et nos, hac die, antequam a nobis discedat in cælum Christus et avolet pelicanus noster, consultabimus, auditores, quid ei pro meritis debeamus.

I. Est beneficiorum memoria. Fecit in hoc Tobias junior non semel, sed iterum ac tertio. Imprimis enim ubi ad paternas ædes rediit, narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem qui eum duxerat, Tob. XI. Deinde, rursus cum mercedem ductori suo dare vellet, omnia ejus beneficia sigillatim patri recensuit. Denique, ubi ab eis angelus discessit, simul prostrati per tres horas in faciem benedixerunt Deum, et exsurgentes narrauerunt omnia mirabilia ejus, Tob. XII. Quod si angeli beneficia sic commemoravit Tobias, quanto magis decet ut nos Christi beneficia infinitas majora memori mente reponamus et voce depromamus? Monuit eo loco Raphael: *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est*. Quare: *Cum Dei opera revelare* (inquit S. Severus episcopus Minoricensis, in ep. de conversione Judæorum) *et confiteri honorificum esse Raphael archangelus monent, profecto silere et celare opera Christi, periculosum est*. Fecit hoc imprimis Deipara, quæ Dei Filio gravis, erupit in Dei laudes, annuntiavit Elisabethæ, prædicavit Dei beneficium: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, etc.* Luc. I. Pari modo David in persona omnium electorum prædicat Dei beneficia, Psal. LXV. cum ait: *Venite, audite et narrabo omnes qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ*. Neque id semel tantum in die fecit, nam Ps. LIV. ait: *Vespere et mane et meridie narrabo misericordias scilicet Domini; tacite monens nos ut id ipsum faciamus: quemadmodum et facit Ecclesia cum ter in die, mane, meridie, vespere, alsum salutationis angelicæ auribus nostris insonat, ut beneficium incarnationis Dominicæ ter quovis die memoremur: prorsus sicut Tobias ter commemoravit Raphaelis beneficia, ante ejus discessum, in discessu, post discessum. Ad hæc si quid scimus, quod Dei et*

Christi ejusque sponsæ Ecclesiæ gloriam amplificare potest, id omnimodo propalare et extollere conemur, ac si possumus litteris etiam commendare uti miracula aliaque specialia Dei beneficia, Ita monuit angelus Tobiam utrumque in Hebræo textu, ubi dicitur: *Nunc ergo scribite vobis omnia hæc in libro, et erit in testimonium inter vos et Deum vestrum omnibus diebus vitæ vestræ; quod et fecerunt scribendo vel dictando saltem librum suæ historiæ. Quare si quis insigne aliquod beneficium, vel recuperatæ sanitatis, vel ereptionis e gravi discrimine, etc. percepit a Deo, curet mandari litteris, depingi in tabula, et ad sanctorum, quorum forte patrocinio id accepit, ædes suspendi, vel saltem ipsemet crebro prædicet.*

Quod attinet ad ordinaria beneficia descripta, ea unusquisque in corde suo et rememoretur quotidie saltem vespere; partim communia illa quæ sup. dominica recensuimus, partim singularia, v. g. quod te angelo suo comite per varia itinera duxerit et reduxerit; quod te bonis temporalibus ditavit, et sustentavit victu quotidiano; quod Ecclesiam tibi matrem, hæreditatem cæli in sponsum dederit; quod demonem animæ tuæ insidiantem sæpissime compescuerit; quod in tui conversione gaudium in cælo angelis fecerit; quod te a gravibus mortis periculis animæ et corporis sæpe eripuerit; quod a bonis parentibus et præceptoribus instrui, fide illuminari et lumen cælestium honorum videre fecerit; quod bonis omnibus repleverit. Parum exigo, cum hoc exigo. Nihil enim minus referri potest benefactori, quam memoria beneficii, quas is, qui accepit, illud sibi gratum esse et a se aestimari ostendit. Qui hoc facere detrectat, ingrattissimus est, et indicat eo neglectu, se illud parvi aut nihili ducere, quales hodie innumeri, qui ita rebus infimis sunt immersi, et in omnia alia intenti, ut vix unquam de divinis beneficiis, nisi forte obiter cogitent; quasi hæc terrena et pereuntia sint majoris meriti quam illa, quæ Dominus vel nobis contulit, vel pro nobis gessit, vel nobis promisit. Tu si sapis, non attende quid alii faciant, sed qui te facere oporteat: pondera quotidie multitudinem divinorum beneficiorum, tuam ingrattitudinem, etc.

II. Amor in benefactorem. Cum enim nihil dignum in vicem tantorum beneficiorum reipsa possimus præstare, par est ut saltem affectu ea compensemus. Hoc autem fit amore, qui bonum, quod conferre non potest, vel gratulatur si adsit, vel optat si desit, vel procurat si possit. Hunc amorem ductori suo exhibuit Tobias; blandissime enim alloquebatur, et vocabat eum fratrem, Tob. VI. et IX. *Azaria frater*, inquit, *peto ut auscultes verba mea*. Tametsi enim eum velut mercenarium tantum sibi adjunxerat, tamen audi-

verat eum ex magno genere esse, Ananiæ magni filium; deinde viderat eum juvenem esse splendidum, Tob. V. denique ab eo magna beneficia jam acceperat. Easdem fere ob causas vocavit David Jonatham fratrem suum, unice dilectum: *Doleo super te*, inquit, *frater mi Jonatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum*. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam, II. Reg. I. Sciebat enim illum imprimis esse filium regis, se vero hominem rusticum et ignobilem. Secundo, videbat eum decorum et amabilem valde, forma et virtute præstantem. Tertio, recordabatur beneficiorum ab eo acceptorum; qua ratione scilicet propria veste ab eo donatus, ejusque ope, cum præsentissimo vitæ discrimine, ab ira Saulis et decreto mortis servatus esset; interim vero ei nulla beneficia retulerat. Hinc aliquando illum accedens, adoravit prius ter pronus in terra, I. Reg. XX. quia videlicet tres illas excellentias et dignitatis ornamenta in eo venerabatur et colebat. Quæ eadem in Christo tanto excellentiora sunt, quanto excellentior Deus homine. Factus est Christus frater noster, cum naturam nostram sibi copulavit et insuper peregrinationis nostræ comitem nobis se adjunxit. Sane cum post resurrectionem suam jam esset gloria et honore circumdatus, vocavit discipulos *fratres* suos, Joan. XX. At qualis et quantus est hic frater noster? Filius imprimis est magni Dei, summi regis. Deinde, *speciosus præ filius hominum*, juvenis splendidissimus, in quo inhabitat omnis gratiæ plenitudo. Denique, beneficia ejus in nos collata immensa sunt et innumera. Ut enim taceam illa, quæ ut Deus tantum nobis exhibuit, creationis, conservationis, etc. nonne nos a prima felicitate in exitum lapsos iterum redemit? Nonne ex inimicis filios Dei constituit? Nonne jus cælestis hæreditatis nobis restauravit? Nonne amore nostro vestibus gloriæ sese spoliavit et formam servi induit? Nonne propter nos liberandos iræ Patris sui se objecit? Nonne eum propter nos Pater lancea confixit? Nonne propter nos vincula et flagella, sputa et opprobria, crucem denique et mortem pertulit? Nonne nobis donavit thesaurum meritorum suorum velut vestem pretiosissimam, qua induti ipsi et Patri ejus placeamus? Nonne etiam balmum suum charissimum, corpus inquam et sanguinem suum in sacramento nobis reliquit? Nolo commemorare alia beneficia sup. dominica recensita. Hæc cui non sufficiunt ad redemandum eum, qui adeo nos amavit, fratrem nostrum? Et nos quinam sumus, cum ipso comparati? Infimus naturæ rationalis terminus, bestiis affines et in nihilum propendentes, Dei mancipia: deinde, vitio nostro improbi, viles et despecti: denique, ingrati et Dei iram ac gehennam millies

commeriti. Hæc si nos accurate expendamus, utique in meditatione nostra exardescet ignis amoris divini. Sicut enim solis radii speculo excepti et in unum collecti, calorem ingentem neonem et ignem excitant; ita divina beneficia mente collecta et attentius considerata fervorem et cælestem amoris ignem in cordibus nostris accendant.

III. Servitus et obsequium perpetuum. Debet enim beneficium beneficio compensari, ubi non deest facultas; vel ubi ea deest, servitio saltem et obsequio. Non defuit hæc in re muneris suo Tobias. Imprimis enim ductorem suum vocat Dominum, Tob. V. *Dominus, invadit me*, (piscis) inquit. Deinde præter diurnum salarium, quod erat drachma cum victu ex pacto ei decreta et auctarium mercedis aliquod, ut habet textus Græcus et Hebræus, Tob. V. obtulit ei mediætam amplissimæ dotis, quam tulerat a socero; rogans insuper, ut eam accipere dignaretur, et in beneficio reponens si acciperet. Libenter obtulisset totum; dicebat enim jam antea: *Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ*, Tob. IX. Habemus hic, quid obsequii debeamus Christo vero duci nostro. Primo, velut Dominum nostrum peculiariter veneremur, quia emit et redemit nos pretio sanguinis sui. Secundo, debemus ei quotidie drachman, id est, animam nostram Dei imagine insignitam offerre et resignare ad obsequium ejus. Tertio, decet etiam ut de bonis nostris temporalibus, quæ ipse nobis contulit, ipsum honoremus sive in templis, sive in membris ejus pauperibus: et si non dimidium cum Tobia et Zacchæo, partem saltem aliquam eis offeramus. Pro beneficio reputemus, si dignetur Dominus a nobis hæc accipere. Obligamus enim illum ad reddenda nobis plura; sicut pro beneficio reputatur, cum magnam summam pecuniæ sub annuo censu ab aliquo acceptat princeps. Totum quod habemus, ei offerendum esset, quia totum ei debemus. Cur non ergo addamus alia supererogationis opera et plus quam a nobis exigitur? Quarto, denique si nos ipsos in perpetuam servitute ei addicamus, nihil adhuc dignum ejus beneficentiæ faciemus. Animam ei debemus et mille quidem titulis. Audiamus S. Chrysostomum, hom. LXII. in Matth. « Putasne, inquit, si quotidie pro eo qui nos tam mirifice amat, moriamur, condignas nos posse referre gratias, imo vel minimum quid reddere? Nequaquam. » Quare si in ægritudine tibi constituto offertur superstitiosum aliquod remedium pro sanitate recuperanda, fidei christianæ contrarium, elige potius propitio Christo emori, quam eo offenso vivere; et ita gere te in aliis.

IV. Gratiarum actio, laus, benedictio et gra-



tulatio. Hoc enim exigit jus gratitudinis, ut agnoscamus nos beneficium gratis a benefactore accepisse eique acceptum feramus; deinde, ut id laudemus et magni aestimemus; denique, ut ipsi vicissim bona impreceur, vel si ea jam possidet, ob possessu ei gratulemur. Præstitit hoc Raphaeli Tobias, cum ei se obligatum cum omni sua substantia et vita professus est, eo quod per ipsum omnia possideret: deinde, cum præ stupore et admiratione cecidit in faciem suam, et rursus cum prostratus in terra jacens una cum parentibus benedixit Deum, Tob. XII. jam cum Christi in nos beneficia infinita sint, infinitam quoque ei debemus gratiarum actionem; quam cum reddere nequeamus, infinite absumus ab hujus debiti compensatione. Ut tamen ex parte nostra præstemus quantum possumus, animos nostros ad divinas laudes crebro excitemus, dicendo cum prophetas, Ps. XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*: et Ps. CII. *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, etc.* Et quia admodum exiguum est, quod per nos possumus, conemur supplere per amicos, et accersamus angelicos spiritus, cælestia corpora, sublunaria omnia et universam creaturam animatam et inanimem, ut nobiscum et pro nobis Deo de infinita ipsius in nos misericordia gratias agat, eumque laudet et benedicat. Sic faciebat David variis in ps. uti Ps. CXLVIII. *Laudate Dominum de cælis, etc.* et socii Danielis in fornace Babylonica: *Benedicite omnia opera Domini Domino, etc.* Sunt enim creaturæ, quasi voces quædam, Dei bonitatem, sapientiam, potentiam, prædicantes, suaque pulchritudine, varietate, multitudine, virtutibus creaturam rationalem ad Dei laudem incitant. Ad hæc quia Dei in nos beneficia capere omnimode non possumus, ea saltem admiremur et quasi attoniti paveamus. Sic regina Saba cum non posset capere sapientiam Salomonis, obstupuit præ admiratione, ut mente excessisse videretur, III. Reg. II. ita et Tobias audiens ductorem suum non esse hominem, sed angelum, stupore attonitus cecidit in terram super faciem suam. Quando ergo et nos audimus, ducentem præceptorem, et redemptorem nostrum in terris fuisse, non regem, non angelum, sed Deum, annon obstupescere et mente excedere deberemus? Isaac audiens vocem Jacob sub pilosa specie Esau, admirans dicebat: *Tu es filius meus Esau?* Gen. XXVII. Cumque postea didicisset, revera fuisse Jacobum sub vestitu Esau, a se benedictum: *Expavit*

*stupore vehementi* (Septuaginta habent, *raptus est in extasin*) et ultra quam dici potest admirans, dicebat: *Quis igitur ille est, etc.* Talis autem Christus fuit, Deus inquam, sub specie hominis, impassibilis sub specie passibili, immortalis sub mortali, innocens et impollutus sub specie peccatoris, ut ostendit S. Bern. ser. XXVIII. in Cant. *Quis hic non expavescat, non obstupescat et extra se rapiatur? Quis non corruiat in faciem? Hicne est Deus pro nobis in crucem actus et pro maledicto habitus? Hicne est ille formosus, in quem desiderant angeli prospicere, nostri causa adeo deformatus ac veluti leprosus factus, etc.*

Denique, quia Christus omnia bona jam possidet, gratulemur ei toto corde et gaudeamus de ejus gloria non minus, imo magis quam si nostra foret. Gratulemur ei ob victoriam obtentam de diabolo, peccato, morte, mundo, perfidis Judæis. Gratulemur ei ob gloriosam resurrectionem, triumphalem ascensionem, sessionem ad Patris dexteram, plenariam et judicariam potestatem in cælo et terra. Exaltemus eum in cælum votis nostris velut manibus juxta Psalm. *Exaltabo te Domine*: item: *Exaltate Domine in virtute tua, etc.* Comitemur eum hodie nostris cogitationibus et affectibus usque ad cælum empyreum, cum jubilatione et voce tubæ. Gaudeamus et magnificemus eum, cum hoc tempore videmus Ecclesiam dilatari partim in nostris partibus, dum hæreses extirpantur: partim in orbe novo, dum idololatria pellitur. Dicamus alter alteri, quod primævi illi Christiani dicebant Paulo, Act. XXI. *Vides, frater, quot milia sunt in Judæis (hæreticis, gentilibus) qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis?* Ita fiet ut eundem laudare in perpetuum possimus in cælis.

## CONCIO IX.

MIRACULA CREDENTIUM QUA RATIONE SPIRITUALITER EDENDA.

I. Dæmonia qui ejiciant. — II. Linguis novis qui loquantur. — III. Serpentes qui tollant. — IV. Mortiferum sine noxa qui bibant. — V. Ægro qui sanent.

## THEMA.

*Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, etc. Marci ult.*

Cum magnus ille propheta Elias curru igneo raptus discederet ab Elisæo discipulo suo, et contristatus inde Elisæus clamaret: *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus*, reliquit ei in terra pallium suum, cujus magna sane virtus erat. Eo namque indutus Elisæus duplicem

Eliæ spiritum consecutus est, eoque mox percussus aquas Jordanis divisit in duas partes, ut sicco vestigio transire posset, IV. Reg. II. Simile quiddam, auditores, hodierno die gestum est. Elias, *Deus Dominus* exponitur, et quem alium designat, nisi Christum, cui dicebat Thomas: *Dominus meus et Deus meus?* Iste currus et auriga Israel, verius longe fuit, quam Elias ille; hic enim velut currus suscepit in se; et portavit totius mundi scelera; velut auriga dixit ac direxit ad salutis viam verbo et exemplo populum Israeliticum, imo mundum totum. Cæterum is hodierno die assumptus est in cælum, ablatu e discipulis suis haud dubie non modico ipsorum cum mœrore. Verum ne ipsos omnino destitueret, reliquit is virtutem miracula patranti, quasi mirificum quoddam pallium. *In nomine meo dæmonia ejiciunt, etc.* quod discipulis imprimis, deinde cæteris fidelibus dictum esse colligitur ex textu. Et quidem Christi discipuli innumera fecere miracula virtute hujus pallii. Sed ubi, dicit aliquis, hæc mira nos patramus? Ubi dæmonia ejicimus? Ubi ægros sanamus? Ubi serpentes tollimus, etc.? Respondet ad hoc S. Gregorius, hom. in hodiernum evangelium quæ est XXIX. *Hæc (signa) necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, etc.* deinde: *Sancta Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat, etc.* Similiter S. Bernardus, in serm. de ascens. qui per virtutum merita fieri ea signa asserit, esseque certiora et securiora, quam sint vera miracula. Certiora sunt quia sanctum faciunt, non ostendunt; securiora quia vanæ gloriæ minus obnoxia. Ergo, auditores, hoc Eliæ nostri pallium unicuique nostrum relictum est, cujus vi et efficacia facere miracula possumus. Qualia vero hæc miracula sint, audiamus.

I. *Sine dubio dæmonia ejiciuntur*, inquit S. Bern. loco cit. *cum eradicantur e corde peccata.* Adstipulatur ei S. Chrysost. in hunc Marci locum, inquiens: *Magnus dæmon peccatum est; quod si a te abjeceris, majus (mihi crede) fecisti opus, quam si dæmonia ejiceres.* Qui sanctus recte appellat magnum dæmonem, quia dæmon corpus tantum vexat, peccatum vero perdit animam et corpus, adeoque totum hominem. Unde melius foret vexari ab integra legione dæmonum, quam uno peccato pollui. Quemadmodum ergo pirata ille Dionides Alexandrum Magnum vocavit magnum prædonem, quod magna classe integra regna et nationes depopularetur et spoliaret; se vero parvum prædonem asserens, quod unica navicula prædam quæreret: (apud Phut. in Alex.) ita peccatum magnum dæmon jure vocari debet, cujus respectu dæmon ipse parvus est, quia hic in corpus tantum grassari

potest, illud animam occupans deprædatur, et in cælum usque grassatur ac Deo ipsam spoliatur. Quodque amplius est, facilius ab homine dæmon ejicitur, quam peccatum. Hic enim exorcismis et precibus Ecclesiæ pelli potest, olimque ab exorcistis passim expulsus est; illud vero multis sæpe machinis, precibus et minus eximi non potest, præsertim ubi longa assuetudine altas in homine radices egit. Hinc de avaro, cum forte Ecclesiæ aut pauperi eleemosynam donavit; de ebrioso, si aliquando e convivio tempestive surrexit et sobrius domum rediit; de pigro et inerte, si aliquando primus in templo visus est, dicendum quod miraculum patravit. Hæc sunt miracula illa omnium saluberrima, quale edidit apostolus cum ex Saulo factus Paulus, Christum prædicavit, quem prius persecutus fuit: *Stupebant enim omnes*, inquit S. Lucas, Act. IX. *qui eum audiebant et dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud, et huc ad hoc venit ut vincos illos duceret ad principes sacerdotum?* Talia edidit in communi primi Christiani, cum ab ethnicismo conversi toti alii et novi homines facti sunt, cum dominarentur suis cupiditatibus, qui prius serviebant illis, adeoque angeli quodammodo facti sunt ex dæmonibus; quod videntes ethnici pro miraculo habuerunt, uti testatur S. Petrus, in epist. I. cap. IV. scribens: *Admirantur (Græce, peregrinantur, q. d. putant se gentiles in peregrina terra et novo mundo esse) non concurrentibus vobis in eadem luxuria confessionem, hoc est, in lasciviam, concupiscentiæ desideria, temulentiam, comotationes, etc. uti supra recensuit.*

II. «Linguis loquuntur novis, inquit, S. Bern. serm. cit. cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta protoparentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.» Secundum S. Gregorium, homilia dicta: «Qui jam vitæ veteris sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudem et potentiam, quantum prævalent narrant.» Testatur S. Jacobus, c. III. difficillimum esse domare linguam; feroces bestias domari, linguam fere a nullo domari. Ergo qui exclusa vetusta seu veteris vitæ lingua, loquitur nova, profecto magnum edet miraculum. Quæ autem est lingua vetusta, nisi quam introduxit serpens in paradysum? Talis lingua erat curiosa illa serpentis loquacitas: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* Nova lingua foret cohibere linguam, præsertim in conviviis et conventibus profanis, ubi quasi ex condito linguæ fræna laxantur, proximorum fama roditur, et puditissima quæque sine pudore effu-